



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Sepultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

gentem litteras sigillo munitas, aut quæ servabantur in secreto loco, mortaliter peccare, si hoc faciat prævidens fore, ut inde aliquod notabile damnum oriatur, secus si id faciat ob curiositatem, causa sciendi nova, aut ridendi ob inelegantem & barbaram compositionem; aut credat adesse interpretativam voluntatem ejus qui scripsit, vel illius ad quem mittitur. Similiter non peccat qui litteras aperit ad proprium periculum præcavendum, quod sibi timet. *ibid. num. 4. & seq.*

4. Qui novit secretum alterius, non peccat quando vi tormentorum & mortis compellitur ad illud revelandum; habet enim justam causam revelandi, nec tenetur celare secretum cum tanto suo incommodo. Intellige tamen modò ex ea revelatione non oriatur grave damnum publicum, ad quod vitandum quilibet tenetur mortem subire. *ibid. num. 8.*

5. Quando secretum vergit in damnum innocentis, detegendum est, etiamsi promissum sit cum juramento: detegendum est adhuc, quando quis juridicè interrogatur de aliqua re, de qua tenetur loqui & respondere seclusa promissione secreti eo quod alia via scierit. *ibid. num. 9.*

6. Petes, an is cui concreditum est secretum, possit judici interroganti respondere cum juramento se nihil scire? Potest addita restrictione, *ut illi aperiatur*, vel æquivocatione, non enim potest iudex cogere ad manifestandum secretum quod ex obligatione naturali servandum est. Et qui per fraudem vel injuriam extorsit secretum, aut qui novit aliquid ab altero, cui commissum erat sub secreto, tenetur illud servare secretum. Vide verb. *Ludus ibid. num. 10. & 12.*

A D D I T I O.

Sepultura.

Sepulturam sibi eligere potest quisque pubes; quod si non elegit, sepeliendus in sua Ecclesia, peregrinus in parochiali, vel cathedrali, uxor cum viro, spurius cum matre non illustri, naturalis cum patre non in dignitate constituto.

De varijs exequiarum moribus Covar. *cap. ult. de testam.*

De sepultura Val. *l. 3. dist. 3. quest. 9. p. 2. Navar. l. 3. cons. multis consil.*

De jure sepulchri Mol. *dist. 214.*

De funere Bellarm. *l. 2. c. 2. de purgat. cap. 19. ubi probat funeris*

neris

neris cereorum, hymnorum, & aliorum usum, errores quosdam refellit, explicatque utilitates, quas ex funere tum vivum tum defuncti percipiunt. *Sepulturam*) Mol. *l. c. sepultura, n. 7.*

Sepultura non potest impediri prætextu debiti, aut illius obligationis, at potest ex causa negari condemnatis ad mortem. Mol. *dist. 255. col. 2.* Covar. *c. Raynaldus, §. 3 nu. 2.* Molin *fn. l. c.* imò ante æs alienum funeris impensa deducitur. *ibid.* vid. Sylv. *sepultura n. 12.*

Ossa fidelis à sepultura perpetua non transferenda sine Episcopi licentia.

Episcopus ex causa potest in sepulchro unius alium sepelire, eo invito. Sylv. *l. c. n. 3.*

Jus sepulturæ non datur sine Episcopi consensu, in Ecclesiis ei subjectis.

Abusum quidam dicunt esse sepelire passim in Ecclesia, sed immerito, & in hac re standum consuetudini patriæ. Olim quidem fideles in cœmeterio sepeliebantur, solum excellentes quidam in Ecclesia.

Clerici non obligati alioqui ad officium sepulturæ, possunt pro eo aliquid accipere in sustentationem, vide Sylv. *l. c. num. 2.*

De impensa funeris, æris alieni deductione, familiæ alimentis. Mol. *dist. 235.*

Honoriifice, moderate tamen, humana cadavera sepelire, pius est, propositio est de fide. Bannes 2. 2. *quæst. 32. art. Val. l. c.*

Quartam debitam Parocho solvunt religiosi solum de oblatis die sepulturæ.

A D D I T I O.

SERVUS.

Servus captus in bello etiam iusto, potest fugere, etiam ab eo qui se emit à captivitate, nisi promississet non fugere. Cov. *reg. peccatum, p. 2. §. 11. n. 7.* Val. *l. 3. dist. 3. q. 16. p. 3. col. ult.* Bannes 2. 2. *quæst. 40. art. 1. dub. ult.* Salon 2. 2. *quæst. 3. art. 1. de dom. p. 116.* addens, si sine vi, & dolo Sor. *l. 4. quæst. 1. art. 2.*

Sed Mol. *dist. 37.* iusto bello captum lehaliter peccare fugiendo, ait, tenerique se domino restituere, pro qua sententia lege *Gl. c. jus gentium dist. 1.* Sylv. *servitus. n. 3.* Tur. *eccl. ibid.*